

B. h. II, 312.

h. bi, 3.

X 187 8808

Q. D. B. V.



DISSERTATIO JURIDICA

De

FELONIA

Quam

Consensu

NOBILISSIMI ICTORUM ORDINIS

sub moderamine

FRIDR. GEISLERI, Reussendorffensis

Silesii Phil. & J. U. D. ac Institution. imperial. Prof. publ.

Præceptoris atqve Fautoris

& omni officioso honore prosequendi

Die 22. Martii & A. C. M. DC. LXXVI.

H. L. Q. C.

Academ. publ. propos.

BALTHASAR HENRICUS de ZASCHNITZ

Eqves Misnicus

Autor & Respondens.

LIPSIÆ,

LITERIS JOHANNIS WILHELMI KRÜGERI.



SERENISSIMIS ET CELSISSIMIS
PRINCIPIBUS AC DOMINIS
DN. CHRISTIANO
DN. AUGUSTO
DN. PHILIPPO
DN. HENRICO

Ducibus Saxoniae Juliae Cliviae & Montium,
Landgraviis Thuringiae, Marchionibus Misniae,
nec non superioris atq; inferioris Lusatiae, Comitibus
Marcae & Ravensburgi, Dominis in Ravenstein,

PRINCIPIBUS ac DOMINIS
suis Clementissimis

hoc


Academicum specimen

D. D. C.

devotissimus & subjectissimus
vasallus

B. H. V. Z.





Prooemium.



NE in universum ususfructus feuda-
lis in personâ vasalli consistat, placuit cer-
tis modis Extingvi feudum & ad proprie-
tatem reverti *arg. §. i. J. de usufructu.* Exting-
vitur autem variis ex causis, præprimis
ob commissam Feloniam. De hac in sequentibus li-
neis, concisè tamen & breviter, quantum licuerit, cum
DEO, agemus.

Thef. I.

Felonia à præterito perfecto verbi *Fallo* dicta, *Vultej.*
de feud. lib. 1. c. 11. n. 17. alio nomine dicitur Ingratitudo, De-
lictum &c. *Rosenthal. de feudis c. 10. conclus. 1. n. 1.*

FELONIAE
I. Etymolo-
gia.
II. Synony-
mia.

Thef. II.

Est autem **FELONIA** nihil aliud, quàm Delictum
contra leges feudales sponte commissum, ut ad Præ-
standum quid Patiendumvè quis se obliget. *arg. l. 25. ff.*
de O. & A.

III. Defini-
tio realis.

Thef. III.

Dicitur *Delictum*: Propriè an Impropriè, inter feu-
distas quæritur. Lud. Schrad. distinguit, utrum in Fa-
ciendo consistat, an in Negligendo seu omittendo, ut
illô casu Propriè, hòc verò Impropriè delictum dici me-
reatur. *Tract. de feud. p. 2. p. 9. qv. 6. qv. 17. n. 3. seqq.* Ab eo recedit

IV. Defini-
tionis pars
Prior, scil.
Genus,
Delictum.



Rofenthal. *de feud. cap. 10. pr. in fin.* dicens: Feloniam tunc *Propriè* posse appellari delictum, si in id incidat, quod est de jure communi crimen, puta adulterium, homicidium, furtum. aliàs *Impropriè & largè* loquendo duntaxat, ut patet in non-petitione investituræ, nō solutione canonis, non præstito servitio, in rei feudalis deterioratione.

Hujus sententiæ ut subscribamus, movemur, quòd omnia delicta ex Animo facientis sint æstimanda *l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de sicar.* hinc Voluntas maleficia crimina & delicta distingvit. *Ben. Carpz. pr. crimin. p. 1. qv. 1. n. 18.* Et utique aliter quis peccasse intelligitur *Dolo*, aliter *Culpa*: ut vel ideò ob diversitatem delictorum concurrentium Felonia nunc *Propriè*, nunc *Largè* delictum censeatur.

Thef. IV.

V. Efficiens
causa t. Remota t. Propinqua.
* de Voluntate in Delictis.

Causa Efficiens *Remota* est juris Feudalis dispositio. *Proxima* est Voluntas delinquentiam *arg. l. 53. pr. & l. 39. ff. de furtis.* Intelligimus autem Voluntatem non *Nudam* quæ in Interiori mentis agitatione consistit, nec à Magistratu civili coërceri potest. *arg. l. 18. ff. de pænis*; sed quæ ad *Externa* processit, & in foro Civili puniri potest. *vide G. Ad. Struv. exerc. 48. tb. 4. 5. 6.* Voluntas autem est vel *Omni-modo libera*, inde *Dolus*; vel *secundùm Quid*, hinc *Culpa*. *Idem d. l. tb. 7. 8. adde Th. nostam 3. preced. in fin.*

Thef. V.

VI. Sub
jectiva materia
exposita
1. Positivè.

Subjectum constituunt omnes, qui Delinquenti facultatem habent, insimulque Feudorum sunt capaces. Cum enim Felonia contra statuta feudalia potissimum committatur, inter alios quam inter quos Feudalia jura exerceri solent, perpetrata dici nequit. Unde huc pertinent Dominus & Vasallus: quorum unusquisque, Diverso tamen respectu, modò subjectum *Agens*, modò *Patiens* dici potest.

De

De utroque res certa est, ob §. Domino 2. F. 26. c. un. 2. F. 47.
Accedit, quod Dominus vasallo suo ad parem fidem & benevolentiam obstrictus sit, c. imperiali §. ult. 2. F. 54. c. epistola 2. F. 6. Quamvis frequentius in persona Vasalli occurrere omnino fatendum sit.

Nec interest, Mares sint an Feminae l. 2. l. 9. ff. ad L. Aquil. l. 1. §. 28. & 52. ff. de SE. Silan. Nobiles an Ignobiles, Clerici an Laici, sive Sui juris sive Alieno juri subiecti arg. q. investitura §. sed etiam 2. F. 3.

Removentur ergo à feloniam Subjecto ii, qui quidem Delinquere possunt, jure tamen Feudorum non censentur: aut qui ad Feuda quidem admittuntur, Delinquendi tamen facultate destituuntur. Illorum classem augent I. Hæretici l. 4. §. 1. C. de heret. & Manich. II. Apostatae l. 4. C. de Apostat. III. Excommunicati excommunicatione majore arg. can. 16. 32. 33. caus. 11. qv. 3. IV. Deportati l. 2. C. de bon. proscript. V. Banniti Andr. Gail. lib. 2. de pace publ. c. 6. n. 9. VI. Usurarii manifesti, ex crimine publico Damnati, nec non Infames &c. In Horum verò censum referuntur Infantes, Furiosi, Mente capti, Dormientes, & ejusdem generis alii.

2. Remotivè.

Sed quid de Prodigis dicendum? sanè eos Furiosis * de Prodigis æquiparari verissimum est l. 40. ff. de R. I. l. 1. ff. de curat. furios. Quia tamen ista comparatio manifestò ad Conventiones & ad Bonorum administrationem restringitur l. 12 §. 2. in fin. ibi: quoad bona ff. de tutor. & curator. datis Ben. Carpzov. pr. crim. p. 3. qv. 118. n. 27. & seqq. & aliàs satis certum est, Doli capaces esse prodigos, nullum inde dubium est, quin Felonia in eos cadere possit.

Thef. VI.

Objectiva materia feloniam est Feudum; sive sit VII. Objectiva materia Pro-tertia.

A 3

Proprium sive Improprum, sive Vetus sive Novum,
sive Ligium sive Non ligium quocunqve tandem no-
mine veniat.

VIII. For-
malis cau-
sa spectata
in acti-
bus (Priori
loco) VA-
SALLI
partim
Omissionis.
Omissio
impingit
(aut) in
Dominum,
1. si Servitia
debita à
vasallo de-
trestantur.
Exempla
1. 2. 3.

Thef. VII.

FORMA autem felonie consistit in Transgressione
aut rectitudinis Privatione, dolo vel culpa personarum
contingente. Illic est actus *Commissionis*, Hic autem *Omis-*

Thef. VIII.

Prior itaque felonie modus, quo etiam vasallus feu-
dum suum amittit, est & consistit in *Omittendo*:
quando nimirum vasallus *servitia*, quæ domino præsta-
re debet, *ipsi Denegat*. Quicunqve enim (*ita ipse textus lo-*
quitur) indictâ publicâ expeditione vocatus à domi-
no suo, in eadem expeditione spatio competenti teme-
rè venire Superfedit, vel alium pro se domino accepta-
bilem mittere Contempsit, vel dimidium redditus Feudi
unius anni Non subministravit, feudum quod ab Epi-
scopo vel alio Domino habet, amittat. Et dominus feu-
di in usus suos illud redigendi modis omnibus habeat
facultatem. *lib. 2. Feud. 55. §. Firmiter 1.*

Ex his facile colligi poterit, nullam justiore causam
esse Amittendi feudum, quam servitorum Denegatio-
nem, ob quæ tamen cum primis feudum sibi acquisivit
vasallus 2. F. 24. §. item. Quod confirmatur jure Saxoni-
co per glos. *ordinar lib. 1. Land-Recht art. 14. ad verb: Es ist allein*
sub n. 3. in f. verb. zum lehtern Verlieret ein Mann seine Lehn-
wann er seinem Herrn die Pflicht oder Dienste Nicht leistet/ dar-
um ihme das Gut gegeben oder geliehen worden ist. Toties enim
servitia à vasallo debent præstari, quoties à domino
exiguntur, And. Guil. 3. observ. 62. n. 12. si verò Scienter aliud
agit, rectè caret feudo. Hoc etiam fit, si dominum in

Præ-

Prælio campestri aut quocunqve alio vitæ ac corporis Periculo versantem deserit 1. F. 5. 2. F. 24. §. item. Eo enim tempore, quo dominus in Armis stat, Periculum summum ipsi imminet.

Ast verò antea non sine causa diximus *Scienter*: siquidem facillimè contingere potest, ut vasallus de discessu domini in prælium certior factus non sit; aliàs enim servitia, quæ domino debebat, indubiè solvisset. Et ideò iniquè omninò ageret dominus, si vasallum *Ignorantiâ* lapsum, feudali beneficio privare vellet. Quæritur hîc, si servitia à milite ad compellationem Non statim exhibita, deinceps tamen à domino sine protestatione recepta sint, an feudum amittatur? Hoc Negandum per l. 4. C. de pactis inter empt. & vendit. item per l. 23 ff. de recept. qui arbit. Rosenthal. c. 10. conclus. 34. n. 4. Proinde licet servitia ad quorum præstationem vasallum obligatū esse supra in pr. huj^o th. diximus, secundum communem feudi naturam Non sint determinata, Moderatè tamen à domino exigenda sunt & cujusque loci Consuetudo, ut & Quantitas feudi attendenda est. Struvii synt. Feud. c. 11. aph. 5. Rosenthal c. 8. conclus. 4. n. 3. Cavendum quippe, ne illud liberum domini Arbitrium in Tyrannidem & Cyclopicam sævitiam abeat. Andr. Gail. lib. 2. observ. 62. in fin. l. un. C. ne opera à collat. exigan. Zas. lib. 1. intellect. sing. cap 3. num. 70. seqq. Aliàs quoque dominus, qui jurisdictione atque potestate suâ Abutitur, rectè illà (idem de feudo dixerim;) privari potest. Ferd. Vasquius illustr. controv. l. 1. cap. 8. n. 17. seqq. Gail. 1. obs. 17. adde Job. Philippi usum præcl. Inst. lib. 1. ecl. 43. n. 10. & 8. p. 145.

Limitatio.

Thef. IX.

Quod in jam absoluta thesi de servitiorum Denegatione diximus, idem dicendū est, si periculum, quod imminet, vertit.

2. si Retices imminens Periculum, aut Non a-

cepte ee in domin
habimonia p. dom
illo pt abuti.
1. 2. C. ma
Aly Richi.

vet, Non averterit, vel seniore, ut sibi caveret, Non adhortatus fuerit. Senior enim si de periculo imminente certior factus fuisset, extra dubium maturè illud avertisset, atque se salvum incolumemque conservare studuisset. Quare vassallus ob culpam talem feudo privandus est suo merito. 2.F. 24. §. item 2. Joach. Schnobel *disp. Feud. 10. 1b 28. Rosenthal c. 10. conclus. 17. n. 40.* Graviter enim egit contra Juramentum fidelitatis, in quo 1. domino Fidem & Obsequium 2. Commodum domini se promoturum Damnaque averfurum, 3. debita Servitia præstiturum, 4. Renovationem debito tempore petiturum pollicitus est. Juramenti hujus tenor videri potest in annotat. Adr. Beieri *ad Schnob. disp. Feud. 5. thes. 28. 2. F. 7. de nov. Form. fidel.*

Ratio.

Limitatio.

Aliud tamen dicendum si justà causà Impeditus, dominum de instante periculo monere non potuit: quo casu hautquaquam feudo excidet. Quærere hic lubet, an vassallus, propter Juramentum fidelitatis præstitum, Senioris salutem & incolumitatem Proprie salutis anteferre teneatur? quod Negandum. Curtius junior p. 4. n. 8. Clarus *Feud. qv. 57.* Nam (secundùm commune adagium) quisque Sibi semper proximus est, & Charitas ordinata à Se ipsa incipit *l. 6. C. de servitut. §. aqua.*

Thef. X.

3. Si vassallus dominum *Deserit in Prælio.* confer *th. 8.*

At si dominus non Mortuus, neque etiam lethaliter Vulneratus in prælio campestri derelinquitur, quid cum feudistâ de vassalli feudo statuendum? etiam hic beneficii amittendi justam causam invenimus *1. F. 5. pr. 2. F. 24. §. 2. Zas. p. 10. n. 18. Rosenthal c. 10. conclus. 9.* Nec excusatio, quod dominus tanto Periculo non interfuert, vel quod vassallus post fugam ad prælium statim Redierit,

rit, ullum invenit locum. *Herm. Vultej. lib. 1. F. cap. 11. n. 19.* Sic Ampliatio.
etiã vasallum-defertorem non excusat, quod dominus
Victoriã potitus fuerit. *l. omne delictum § in acie & § sin. ff.*
de re milit. Rosenthal. c. 10. conclus. 9. aut Illæsus manserit.
Vultej. ibid. Quia salus senioris non ex fidelitate Vasalli,
sed ex Propriã fortitudine atqve supremi Numinis gratiã
contigisse censetur. Nihilominus tamen excusari potest Limitatio.
vasallus, si demonstret, Impossibile fuisse senioreni im-
minentem periculo subtrahere. Tali enim casu è prælio
impunè Recedit vasallus. Quia satius est, ut vasallus
evadat, quàm ut simul sine domini commodo pereat.
l. ita vulneratus § 1. pr. ff. ad L. Aquil.

Sed si Duo fratres commune feudum habent, quo- Questio,
rum Unus dominum deserit, Alter verò masculè pro do-
mino pugnat, an uterq; feudo excidet? Negantium opi-
nio nobis arridet. Ratio quia iniquum est, ut Alter cul-
pam Alterius luat. *l. 45. & § 2. ff. pro socio. Ulpianus l. 13. de*
manumiss. testam.

Thef. XI.

Servitia non tantùm quando Bellum geritur, sed eti-
am Pacis tempore, à vasallo requiruntur. *Andr. Kobl. de ser-*
vit. Feud. p. 4 n. 34. Indeque si domino Capto atqve Carcerato
scilicet libertatem pristinã recuperare non annititur, *Carceratio*
auxilium
2. F. 24. §. item Rosenthal c. 10. conclus. 20. feudum rectè ipsi *subtrahit.*
aufertur. *Ben. Carpzov. p. 1. const. 29. definit. 27.* Vasalli enim Ratio.
semper est, Commodum domini quærere quocunqve
modo, modò id in rebus prohibitis non fiat Multò ma-
gis autem opus habet, ut injuriam domini, Incarceratio-
nis actu illatam, declinet. Non enim levis in dominum
injuria æstimanda est, si Carceri inclusus tenetur.

Aliud tamen observandũ (D) si dominus Justè & v. c. Limitatio.

B

æris 1. 2. 3.

æris alieni causâ incarcerat⁹ est: tunc enim non Vasalli,
sed ipsius Senioris culpa arguenda est. 2. F. 28. §. Domino.
Schrader. de Feud. p. 9. c. 8. n. 8. Schneidew. p. 8. c. 1. Obrecht lib. 4. c.
5. Zas. p. 7. n. 47. Ferd. Vasqu. illustr. contrav. 6. n. 6. Kirchof. lib. 5.
vers. vasallum non teneri. Vulcey. c. 10. n. 36. Item (2) si vasallus
Ignoraverit dominum esse carceratum, aut si (3) auxilium
præstare Non potuerit, quibus casibus beneficium non
amittitur. Vulcey. cap. 11. n. 48. Rosenthal. c. 10. conclus. 20. num. 11.

Thef. XII.

si si vasallus Porro dominus justam causam vasallo feudum aufe-
Investituram rendi habet, quando vasallus renovationem investituræ ad
non petit ju- tempus præfinitum (quod est annus & dies) Non petit.
sto tempore 2. F. 24. §. est & alia.

Hic autem benè notandum, formulam eam de Anno &
Tempus in Die Jahr un⁹ Tag non Naturaliter, sed Civiliter sumi. nam
vestituræ adject⁹ hic Dies, Plures ultra annum sub se comprehendit,
renovandæ. Finckelhus. D. 7. controvers. 6. & denotat, investituram non ita
Præcisè intra anni spatium esse petendam, sed potius à
superiore Relaxationem aliquam concedendam. Qua-
re etiam jus Saxonicum hunc Diem, qui ultra annum
præfigitur, per sex Septimanas cum tribus Diebus ex-
ponit. Landr. lib. 1. art. 28. ubi gloss. item c. 25. Lehrecht. G. Ad.
Struvii syntagm. jur. Feudal. c. 10. aph. 7. 2. F. 22. ubi Longobar-
dorum mos circa hunc Diem enarratur.

Incipit dictum tempus Annale demum à termino Scien-
tiæ currere, i. e. postquam Vasallus mortem domini aut
Qv de He- vasalli mortem Heredes ejus cognoverunt. Quæritur
redibus vulgò, an etiam Agnati post mortem vasalli, cujus He-
vasalli. redes existunt, Intra annum investituram necessariò
petere debeant? quod Affirmandum. Nam qui in jus
Ratio 1, 2. vel in dominium alterius Succedit, Jure ejus uti debet,
uti

uti expressa lex 177. ff. de R.I. loquitur. Si igitur tales heredes He-
 reditatem accipere cupiunt, i i quoque prioris possesso-
 rio Jura (sive sint lucrosa sive servitiis gravata) agno-
 scant. Confirmatur hoc collegii Rostochiensis respon-
 so, quod ita habet: So seynd von Zeit des Tödlichen Abfalls ge-
 meldtes defuncti Vasalli die Lehngüter dem nächsten Agnato dermas-
 sen heimgefallen / daß derselbe **innerhalb Jahr und Tag** die Lehn
 nicht weniger / als wenn er den vollkommenen Besitz und Genieß er-
 langet / zu suchen / und **renovationem Investituræ** zu bitte schule
 dig. **Quod autem de Agnatis dictum est, illud etiam de**
Feminis (si ex pacto succedunt) ibidem dicitur. *G. Ad.*
Struvius synt. jur. Feudal. cap. 10. aph. 7.

Thef. XIII.

Sicut autem ille, qui renovationem investituræ Non 6. si vasal-
 petit, maximè contra seniore[m] peccat: ita quoque is lus Cano-
 qui canonem magistratui fortè quotannis præstandum *nem non sol-*
æ finito tempore Non solvit. Sive enim ille canon præstan- *vit, tempo-*
 dus sit in vicem Servitiorum, *uti evincit arg. 2. F. 24. §. sed* *re lege de-*
non est alia 2. F. 55. §. firmiter. sive in recognitionem Domi- *finito.*
 nii: neutro casu sine iniquitate degenari potest. si
 Priori casu vasallus canonem vel Dolo vel in domini Ampliatio.
 fortè indigentis Perniciem dare abstinet, feudo absque
 dubio privatur. Si autem *Posteriorem* casum spectamus,
 Feudum cum jure Emphyteutico coincidit. adeò ut,
 annuâ pensione Non solutâ, post triennii cursum va-
 fallus feudo cadat. *arg. l. 2. C. de jure emphyt. c. fin. extr. de locat.*
conducl. l. 32. C. de episcop. audientiâ.

Thef. XIV.

Prætereà feloniam incidit vasallus *justitiam domino*
Non administrando. Hoc inter alia accidere potest, si Cu- *neglectus,*
 riam ipse habet vasallus & dominus fortè causam ali- *Sci. ratione*
 quam Domini,

quam ad iudicium devolvit, quam tamen is ex æquo & bono non decidit, aut probationes à domino prolatas agnoscere detrectat. Wenn er ihm das Recht versaget / oder nicht Rechtens verhelffen wil. c. un. §. item qui 2. vers. illud tamen, quæ fuit prima causa 2. F. 24. quod probat Jac. Cujacius ex constit. Neapol. 3. tit. 19.

(aut) in Extraneos, si Justitiæ administratio denegatur Subditis.

Thef. XV.

partim Commis-
sivis acti-
bus quo-
rum
alius offen-
dit DO-
MINUM
ipsum
(vel) Dire-
cto r. In-
terficiendo
dominum.

Simile felonix, sed Extraneos affigentis exemplum est, si vassallus subditis suis justitiam Denegat, aut in eos nimium Sævitat: hoc est, si iis servitia ac onera gravissima contra morem solitum imponat aliisque exactionibus indebitis concutiat atque excoriet. videatur §. fin. Inst. de his qui sui vel alieni juris.

Thef. XVI.

Hæc causas (amittendi feudum) in Omittendo consistentes respexerunt, nunc videndum, quomodo amittatur feudum Committendo.

Thef. XVII.

Inter omnia autem delicta, quæ in Committendo consistunt, Primum obtinet locum, quando vassallus domino Volentis manus infert, atque eum planè Interficere tentat. 2. F. 24. §. porro. Quò casu nihil interest, utrum hæc occisio à vassallo Ipso, an ejus instinctu per Alium efficiatur, arg. l. 1. §. de jecisse. ff. de vi & vi arm. l. 1. pr. §. si mandato. Joach. Schnob. diss. Feud. 10. tb. 7. Job. Schneidewin epit. F. p. 8. c. 1. n. 95 sive insidiæ tales Veneno expediuntur sive Gladio, aliisvè vituperio dignis modis. 2. F. 24 §. 2. 2. F. 51. §. si voluerit. Sonsbec. p. 12. n. 37. Schrad. part. 9. c. 4. n. 25. Vassallus enim ob commissum hoc delictum beneficio, quod per traditionem feudi à Domino acceperat, indignum se gerit,

gerit, atque causâ cognitâ, à domini Heredibus feudo
 planè exuitur. *Laur. Sylvianus de Feud. recognit. qv. 29. n. 2.*
 Fallunt tamen dicta, si ipse dominus vasallo prius Infi-
 dias struxit. Tunc enim, licet dominus interfectus fue-
 rit, nihilominus vasallus immunis à felonix pœnâ cen-
 sendus est. Internecio enim insegura ad Defensionem
 potius quàm Offensionem spectavit. *l. 3 C. ad L. Corn.*
de sicar. l. 4. § 45. §. 4. ad Aquil. l. 3. §. 9. de vi & vi arm. Et quia
 charitas ordinata [de quâ etiam th. præced. diximus]
 à se ipsa incipit, per gloss. ad *l. 6. C. de servit. & aquâ.* etiam
 vasallus rectè vitam Propriam vitæ Domini præfert, se-
 cundum traditionem *Zas. p. 7. num. 37. Sonsbec. p. 16. n. 12. Schnob. disp.*
ad ff. 1. § 9. Vim enim vi repellere omnia jura concedunt
l. 3. ff. de l. & l. His concordant statuta Wurfato Frisica
 Tit. 11. § 3. es ist auch hiermit nicht gemeinet / wenn einer in solchen
 Frieden überfallen würde / und zu Errettung Leibes und Lebens Scha-
 den von sich thäte. Denn derselbe ist ohne Bruch / und hat der Angreif-
 ferden Frieden gebrochen. *vide annot. Adr. Beieri ad Schnob. Disp. F.*
10. th. 7.

Limitatio.

Cautè tamen hac in re Invasus agere debet, & bene
 observare i. Causam, quæ sit Injusta offensio. 2. Mo-
 dum, ut cum offensio defensio sit Proportionata. 3.
 Tempus, ut defensio fiat in Continenti.

Cautela.

Quæritur, si vasallus Manum duntaxat levaverit ad-
 versus dominum & Pœnitentiâ statim monitus, læsio-
 nem in actum non deduxerit, an feudo Privandus sit?
 sunt qui Affirmant per *l. 15. §. 1. ff. de injur.* sunt qui Negant.
 Horû sententia [quia tunc injuria tanti ponderis non
 est) ut pote Benignior, arripienda videtur per *l. 155. §. 2.*
ff. de R. l. ita ut potius Ordinariâ pœnâ, nimirum carce-
 re aut mulctâ pro ratione delicti talis, delinquens affi-
 ciatur. *Wexius Cancell. Saxon. Martisb. discursu juridico de Felo-*
nia §. 5. es ist auch hiermit &c.

Quæstio.

*E. j. dominum ab
 eum committit
 injuriam, feudo
 est privandus
 Maj. q. 15. 19*

B 3

Thef.

*Alty. L.
 Minor. quia violat
 reverentiam.
 p. 7. 9. p. 10. p.*

*10. 11. 12.
 quibus pœna minor e, illa 3. est
 ordinaria.*

ivo &
 olatas
 t/ oder
 tamen,
 ius ex
 plum
 os ni-
 ssima
 nibus
 tnt. de
 endo
 modo
 endo
 fallus
 nterfi-
 trum
 lium
 i man-
 pit. F.
 live
 2. F. 51.
 allus
 d per
 m se
 gerit,



Thef. XVIII.

2. cum Inimicis domini amicitiam contrahendo.

Quid si vasallus cum Inimicis domini amicitiam copulaverit? Quia ex hoc facile apparet, Fidem atque amicitiam vasalli in dominum magis Inimicitiam esse denominandam, etiam feudi beneficio sese indignum reddit.

Limitatio.

Amicitia autem cum inimicis domini inita non est hoc loco talis quæ à charitate Christiana dependet, quæ vè Bonâ fide absque domini periculô inita est. *Schulz. c. 11. n. 26.* sed talis, quæ cum Fraude dolo ac damno domini est conjuncta, ejusque in perniciem contumeliam injuriam pariter atque interitum directa, digna quæ ab omnibus cordatis hominibus rejiciatur atque despuatur. *Mozz. de Feud. rubr. ex quib. caus. Feud. amitt. n. 66. vers. intellige tamen. Schneidevv. epit. Feud. p. 8. c. 1. n. 59. & seqq.*

Thef. XIX.

3. Injuriam gravem inferendo.

Idem felonix delictum perpetratur quoque dominum Injuriando. Non autem interest, utrum injuria Realis sit an Verbalis. *Rittersbus. qv. 9. & 10.* Quod jure Saxonico etiam affirmatum legimus *Gloss. ordin. Landrecht l. 1. art. 14.* ob ein Mann seinen Lehn-Herrn gröblich schmähet / oder vor

Ampliatio.

schlich Schaden thut / dadurch mag er seine Lehn verlieren. Perinde quoque est, utrum à persona Vasalli *2. F. 24. vers. porrò.* an verò per Alium (jussu vasalli) in dominum injuria committatur. Quod enim quis per Alium facit, id Ipse fecisse videtur. *Schulz. c. 11. num. 14. & 15. arg l. 5. §. 9. ff. de injur. Schnob. disp. Feud. 10. tb 10.*

Thef. XX.

4. dominum criminis Accusando.

Accedit dictis casibus ille, quo vasallus seniore criminis cujusdam Accusat. *2. F. 33. vers. similiter.* Cùm enim vasallus, ob datam domino fidem, subinde etiam reverentiam præstare debeat *2. F. 23. vers. quomodo.* eundem sine re-

verren-

verentiaē jacturā accusare vix potest. 2.F.24.vers. item si delator. Accusati enim domini, ob crimen commissum, autoritas propter vasalli sui accusationem maximē læditur; læsionem autem vasallus neque per se neque per alium inferre debet, etiamsi crimen sit sole clarius 2.F.6. & 7.vers. ego juro l.3. C. quemadmodum test. aper. Ordin. crimin. art. 210. und ob sich auch gleichwol & c. constit. Elect. 44. p. 4. da einer gleich solch & c. Chr. Phil. Richter p.1. consil. 18. n.33. Somsbec. part. 12. num. 47. Schnob. disp. Feud. 10. tb. 10.

Quare felonix pœnam tunc incurrit vasallus, nisi forsan ratione Officii facta fuit accusatio, crimenque domini salvâ conscientia occultari non potuit, puta si ob crimen Perduellionis (ubi publica salus periclitatur) aut ob Injuriam sibi suisque factam ad accusandum processerit vasallus; quæquam etiam tunc Modestè suscipienda est accusatio. Schneidevv. epit. Feud. part. 5. n. 119. Mynsing. 4. ob/ 92. Carpz. p. 1. c. 2. def. 26. Struv synt. jur. Feud. c. 10. aph. 3. n. 2.

Eodem modo se res habet, quando in causis Criminalibus adversus dominum à vasallo Testimonium perhibetur. Nam tunc eidem honori debito derogatur. 2.F. 33. §. similiter. Et nihil refert, utrum in causa Civili, an Modica (uti Dd. communiter distingvunt) accusatio fiat. 2.F. 24. §. item si delator. & latius apud Struvium d. l. Nam qualis qualis causa sit, si ve Civilis si ve Modica si ve Magna, domino vasallus molestiam creat. Proinde Dd. svadent, ut vasallus ad testimonium, si ve in Criminali si ve in Civili causâ, dicendum provocatus sese pro virili subtrahat, & quòd contra dominum testari non possit, excusationem alleget; si verò apud judicem excusatio nullum invenit locum, isque sub comminatione pœnæ [quod tamen non nisi Probationibus aliis deficientibus fieri debet] vasallum urget, tunc utique vasallus absque ullo peri-

Ratio.

Limitatio.

Ampliatio.

Handwritten notes at the top of the page, including 'M. ga 5 0 7 8 m' and '2. F. 6. 7.'

Handwritten notes on the right side of the page, including 'Ratio.' and 'Limitatio.' with various annotations.

Fragmentary text from the left margin of the adjacent page.



periculo contra dominum testis fieri potest. *G. Ad. Struv. synt. jur. Feud. c. 11. apb 3. n. 4.*

Thef. XXI.

5. *Secreta*
domini re-
velando.
Ratio.

Tunc quoque feloniam reatum vasallus incidit, quan-
do ~~Credentiam seu secretum senioris detrimentum revelat~~, *Borch. c. 8. n. 126. 1. F. 17. 2. F. 5. 6. & 7.* Ex hac enim revelatione summum domini periculum & interdum interitus ori-
ri potest. *Wesenbec. de Feud. cap. 15. n. 6.*

Limitatio.
1. 2. 3.

Tria autem hic occurrunt, quæ privationem feudi præcedere debent. 1. ut vasallus id fecerit *Scienter & Dolo malo*. 2. ut id fecerit *Animo afficiendi dominum damno*. 3. ut *Revera* damnum inde sit secutum. *Wesenbec supra cit. loc. 2. af. p. 10. n. 34. & seqq. Sonsbec. p. 12. n. 62. Herm. Vultej. de Feud. c. 11. n. 21. Rosenthal. c. 10. concl. 69.* Proinde si vasallus hujus delicti causa se purgare cupit, probare debet, quod Animum domino nocendi non habuerit. *Schulz. c. 11. n. 25.*

Ampliatio.

Sed quid dicendum, si Eventus non respondit malo Proposito, & dominus damnum non sensit? nihilomi-
nus fraudulentum Propositum, quo studium Nocendi significatur; ad poenam privationis sufficere putant. *Vultej. d. l. Schrad. part. 9. c. 5. n. 2. l. 1. ff. de sicar.*

Thef. XXII.

(vel) Indi-
rectò aut in
personis,
putà
1. si uxorem
domini va-
fallus *u-
curbitat.*
Ratio.

Immediatè in Dominum peccandi modos huc usque explicavimus; nunc dicendum quomodo Me-
diatè feloniam committatur in seniozem.

Hoc autem fit quando vasallus dominum *Cucurbitat*-
verit, h. e. cum uxore ejus concubuerit. De vocabulo hocce *Cucurbitare*, quod Longobardis idem ac stuprum committere significabat, videatur *Hottoman. in Lexic. feud. sub voce Cucurbitare.* Cum enim domini domui, ex stupro commisso, maxima Macula inferatur, ob id vasal-

Vasallus feudo privari poterit. 1. F. 5. pp. 1. F. 17. 2. F. 57.

Quid si autem adulterium cum uxore non Perfecerit, sed duntaxat id Attentaverit? inde tamen non est excusandus. *Sonsbec. p. 12. n. 16. Mozz. ex quibus caus. Feud. amitt. n. 41. Herm. Vultoj. lib. 1. c. 11. n. 31.* Ampliatio.

Attentatio autem illa variè contingere potest: ni- * de Atten-
mirum si quocunqve modo concubitum prohibitum tatione
in actum deducere Conatus fuerit. *Vultoj. d. l. Borch. c. 8 adulterii.*
n. 91. Zas. p. 10. n. 24. si Osculum libidinosum dederit,
Borch. d. c. n. 28. Rosenthal c. 10. conclus. 5. item si per Literas
amatorias aut Manusculorum illecebras uxore ad mala
perpetranda allexerit. *Schenck. Baro in c. 1. quib. mod. feud. amitt. §. item si fidelis n. 11.* Annon autem aliud obtinet, si va-
sallus *Widua* domini stupraverit? Non obtinet aliud, si
stuprum Intra tempora luctus fiat. *Rosenthal c. 10. conclus. 27. n. 51.* Nam & tunc maximè in Domini injuriam ver-
git, *Siruv. d. l.*

Thef. XXIII.

Quod de Uxore domini diximus, id affirmamus
quoque, quando vasallus cum domini Sponsa aut cum
Filia aut Neptis ex filio aut cum Nupta filio aut cum Sorore
domini in domo ejus vivente, quæ nimirum innupta
adhuc est, concubuerit. *Schulz. c. 11 n. 33. Siruv. c. 15. aph. 9. n. 9. 1. F. 5. 7. 21. §. fin. 2. F. 24. vers. rursus §. idem. Zas. d. l. Sonsbec. p. 12. n. 26. Mozz. d. l. n. 57.* Ratio, quia etiam ob tales deli-
cti Circumstantias, ipsius Domini honori illuditur. 2. si domi-
ni Sponsam
aut Filiam
&c. stuprat.
Utrum autem à Vasallo ipso stuprum tale commissum
fuerit, an ejus instinctu ac Aliis, iterum nihil interest:
nam & hoc nihil ad excusationem sceleris prodest. Ratio.

Sed an idem juris sit, si vasallus cum domini Concu-

C

bina

* de Con-
cubinâ do-
mini. *bina concubuerit, quæritur? Negantium opinio nobis placet. Cùm enim concubinatus domini vix aliqua vestigia Honoris aut Honestatis relinquat, non video, quomodo concubinæ pudicitiam læsâ, injuria fieri possit Domino. Adde quod Concubinatus non solum jure Civili novissimo, sed etiam jure Saxonico penitus prohibitus sit. Vultej. d. l.*

Thef. XXIV.

aut in Re-
bus, putâ
1. si vasa-
lus Feudum
alienat ci-
tra volun-
tatem do-
mini.

Porro feloniam vasallus committit, *feudum sine dominæ consensu Alienando. 2. F. 55. 52. 42. 1. F. 13. Struv. c. 13. aph. 9.* Requiritur autem, ut vasallus certò sciverit Feudum esse; si enim putâisset Allodium aut rem Propriam fuisse, à domino ob ejus alienationem contemni posse non videtur. *2. F. 42. Struv. l. 50 ff. locat.* Ignorantia enim (Regulariter) à poenâ excusat. *Bart. int. fin. num. 2. ff. si quis test. lib. esse.* Quia enim ignorans non contemnit auctoritatem Principis vel Magistratus, in poenam defraudati feudi incidere non potest. *Gail. lib. 2. obs. 48. n. 27.* Ignorantia tamen non Crassa sed Justa sit, si excusationem mereri debet. *Struv. synt. jur. Feud. c. 13. aph. 9. l. qui in alterius ff. de R. I.*

Limitatio
1. 2. 3.

Porro occurrunt interdum casus quibus nihilominus Sine consensu alienatio invenit locum. I. si sub Conditione hæc, si domino Placuerit, alienatio facta fuerit. 2. si conditio domini Melior reddatur. 3. si feudum in agnatum Proximam, qui post primi possessoris obitum legitimè possessori fieri potest, transferatur. Pro re natâ autem probet suam assertionem vasallus per juramentum *2. F. 42. pr.* ad quod tamē vix admittitur, nisi sit vir Bonus & Conjecturis quibusdam juvetur. *Zas. p. 10. n. 10. Schrad. p. 9. c. r. num. 45.* Quo casu vasallus, etiam si feudo jamdum pri-

va-

vatus sit, non solum ab eo in quem Alienavit, sed etiam ab ipso Domino repetere potest. G. Ad. Struvius d.l.

Thef. XXV.

Gravissimè quoque peccat contra seniore[m] vasal-
lus - *Castrum domini assiliendo seu assaliendo* i. F. 5. vers. simili-
ter. 2. F. 1724. §. 2. vers. porro. *Sonsbec. p. 12. n. 55. Rosenthal c. 10. conelus.*
18. *Struv. synt. jur. Feud. cap. 15. aph. 9.* hoc est Oppugnando
seu agrediendo. *Hottom. lex. Feud. sub voce assilire.* Nam
cum vasallo incumbat, Damna domini pro virili aver-
tere, quacunque occasione, quâ dominus damnum
ullum sentire posse creditur, tanquam constantissi-
mum adjutorium se præstare, nec tempus ullum præ-
termittere ipsi serviendi, cum primis si ab hostibus In-
sidia parantur seniori aut Castra hujus oppugnantur,
aliove modo incommodum creatur, Quis non putet,
feloniae poenam incidere vasallum, si Ipse talia perpe-
traret, à quibus etiam, ut Alii abstinerent, cavere de-
beret? *Rittersbus, lib. 2. c. 5. qv. 50.*

z. si domini
Castrum
oppugnat
vasallus.
Ratio.

Neque excusationem meretur, utrum vasallus Sciat
dominum in castro esse, an verò Nesciat. Licet enim
dominus eo tempore Non adsit aut vasallus eundem
adesse Ignoret; tamen hæc Ignorantia aut illa domini
Absentia parum faciunt ad eluendam vasalli temerita-
tem. *Gloss. in d. §. similiter in verb. sciens, Zas. p. 10. num. 18.*
Schnob. disp. Feud. 10. th. 9. Sufficit enim vasallum scivisse,
quòd castrum ab eo oppugnatum Domini fuerit. Cum
itaque sic erga dominum suum Injuriâ summâ atque
Detrimento ingratus extiterit *Giphan. c. 13. n. 18. Niell.*
disp. Feud. 8. th. 5. justè deinceps à seniore ademptione
feudi punitur.

Ampliatio,

nobis
liqua
video,
possic
m jure
is pro-

dominè
equi-
fle; si
à do-
vide-
ulari-
lib. esse.
Prin-
inci-
amen
lebet.

minus
ondi-
2. si
gnatū
posse
robet
42. pr.
Con-
9. c. r.
pri-
va-



alius actus
 commissi-
 vus offen-
 dit EX-
 TRANE-
 UM. ubi
 1. Parrici-
 dium.
 Ratio.

Adde quod vasallus quoque tunc feloniam reus fiat, si
 in Extraneum peccat. Hoc autem fit 1. per Parricidium sive pa-
 tricidium. *Zas. p. 10. n. 67. Wesenbec. c. 15. n. 5. Struv. c. 15. aph. 10.*
n. 1. 2. F. 24. §. fin. vers. si vero. l. 1. ff. ad L. Pomp. de Parricid. Ric-
tershus. l. 2. c. 5. qv. 113. Quod enim atrocius potest esse
 crimen, quam vitam adnitere ei, à quo beneficia sum-
 ma & vitam acceperis ipsam? Et licet Effectum mala
 hæc Intentio non sit sortita, tamen non est excusabi-
 lis, sed suum auctorem nihilominus feudi beneficio in-
 dignum reddit.

Ampliatio.

Hoc autem cuius committitur non tantum inter-
 necione Patris sed fratris etiam atque alterius cujus-
 dam ptopinqua Cognatione conjuncti, *uti docet textus*
expressus l. 1. ff. ad L. Pomp. de Parricid. Cum primis si Fratrem
 ob id interfecerit, quò vel eò Citius hereditatem vel
 etiam Majorem adipiscatur. *2. F. 37. pr. 1. F. 5. vers. item si fra-*
trem, Schulz. c. 11. num 36. Quod jus Saxonicum quoque
 probat *per lib. Landrecht 3. artic. 84. Carpzov. lib. 6. Respons. 81. n. 4.*
ubirationes & limitationes satis clare inveniuntur. An autem

Limitatio.

idem jus recipiendum est, quando vasallus fratrem
 domini sui occiderit? videtur quidem quod Sic. Ratio
 quia gravius peccat vasallus, quam si fratrem suum occi-
 disse. Dominus quippe per sui fratris mortem magis
 quam per Extranei læsus est. Sed rectius Negatur 1.
 quia Parricidium Homicidio longè gravius est. 2. quia
 vasallus feudum à fratre Domini non recognoscit, ne-
 que illius interest, fratrem domini Vivere an Non.
Vultej. d. l.

Thef.

Thef. XXVII.

II. Hominis Traditio infert feloniam & amissionem beneficii *2.F.37.* ubi vocabulum Traditio idem significat ac Proditio ad occidendū. *Schulz.c.2.n.39. Struv.d.1.n.2.* Nefas autem est, si quis aut Ipse interficit confratrem sive commilitonem suum, aut efficit ut hoc Alius tentet. Videtur enim hoc non tantum juri Naturæ, sed etiam juri Civili contrarium esse. Quare talis delinquens jure civili non modo Feudo privari, sed Capite insuper plecti potest. *l.6. §. si quis commilit. ff. de re milit.*

2. Proditio
commilitonem.

Ratio.

Thef. XXVIII.

III. Crimen læsæ Majestatis involvit feloniam. Cum enim Principes rectè appellentur patres patriæ [siquidem non minus Imperii ac patres naturales Liberos saluti præfunt & profunt] etiam ille, qui tantâ protervitate in eos peccat, feudo indignus censetur. *Schrader p.9.c.8. n.18. Vultej. d.1. n.79.* Affirmativa mea stabilitur in capitulat. Ferdinandus. III. Imp. Aug. art. 28. ubi hæc verba continentur: Wir gereden und versprechen auch / daß wir die Churfürsten und Stände des Reichs mit ihren angehörigen Lehn / sie seyn auch gelegen wo sie wollen / wenn derselben vasallen und Unterthanen solche ex crimine læsæ Majestatis oder sonst verwirckt / nach ihrem Willen schalten und walten lassen / keines weges aber dieselben zum Kayserslichen fisco einziehen / noch ihnen vorige oder andere vasallen aufdringen wollen. *Constitutio Maximiliani I. & Caroli V. Imp. in const. des Landfriedens zu Worms Anno 1595. Anno 1548. sub tit. die Pön der Friedbrecher / vers. die Lehn so viel. A.B. Carol. IV. tit. 24. G. Ad. Struvii / ynt. jur. feudat. c.15. aph.10. n.4.*

3. Majestatis læsæ
crimen.

Ratio.

Quæritur vulgò, an crimen læsæ Majestatis solummodo in Imperatorem cadat? quod quidam Affirmant, in-

Ampliatio, ter qvos est Joh. Harprecht. ad S. 3. Inst. de publ. judic. At
in genere in quavis Principem superiorem non recognoscen-
tem hoc crimen committi posse verius est. Joach. Mynsing.
cent. 5. obs. 51. Bachov. ad Treutler. vol. 2. d. lit. 32. B. thes. 1. Com-
primis quia in Nostro imperio plus satis invaluit illa
regula: tantum valet Princeps in territorio suo, quan-
tum Imperator in imperio universo.

Thef. XXIX.

4. de Cri-
minibus
aliis.

IV. Nonnulli huc referunt Incestum, Adulterium
& omne Crimen publicum Rosenthal c. 10. conclus. 36. Cum
autem in Jure feudali horum nulla fiat mentio, dubito
an Ego ea eò referre possim,

Thef. XXX.

(Posteriori
loco) de
actibus
DOMINI
felonicis
1. Remis-
sivè.
Ratio. 1. 2.

Hæc sufficiant de modis, quibus vel Omittendo
vel Committendo feloniam Vasallus feudum perdit.
Nunc opus esset, ut etiam ordine diceremus, quomodo
Dominus feloniam committat. Cum autem domi-
nus Plerumque propter easdem causas Proprietate feudi
privetur, propter quas vasallus Utilitate, superva-
caneum esse puto, ea omnia, quæ in thesibus Antece-
dentibus de vasallo dicta sunt, repetere. Nam cum do-
minus & vasallus sint quasi conjuges & Amici 2. F. 58.
nulla fraus nec ullum malum ingenium intervenire
debet. 2. F. 58. pr.

2. Exempla-
tivè.

Proinde licet Dominus potestatem in Subditos suos
habeat, ea tamen [v. c. nimia Servitiorum exactiōe,
aut insolenti Sævitia] Abuti non debet; aliàs non mi-
nus

nūs ac Vasallus feloniam committit, pœnæq̄ve reus ef-
ficitur. *Andr. Gail. 1. obs. 17. n. 5.*

Thef. XXXI.

Effectus felonix Primus, & quidem à parte Vasalli, est feudi & utilitatis Privatio 2. F. 26. vers: Domino committente feloniam. Feudum enim est beneficium 2. F. 27. §. 2. quod ex benevolentia proficiscitur; huic autem è diametro contrariantur, quæ de modis Committendi feloniam diximus. A parte Domini est proprietatis Amissio. 2. F. 26. §. Domino committente feloniam.

IX. Effectus
tum Primus
1. quoad
Vasallum.

2. quoad
Dominum.
* de Amis-
sione feudi
ob felo-
niam.

Amissio autem quocumque modo facta non contin-
git ipso Jure. arg. c. sancimus pr. 1. F. 21. nec apprehensione
autoritate Propria facta l. 176. ff. de R. I. sed Officio Judicis,
causam pro ratione personarum & rerum definitis.
Proinde dominus ob felonix culpam minimè vasallum
suum feudo Actutum privare potest. *text. in 1. F. 21.* Requi-
tur enim ut præcedat causæ Cognitio coràm judice in-
stituenda, & ut causâ in cognitâ judicio pariù Sententia
vel absolutoria vel condemnatoria feratur. *Struv. c. 15. apb.*
11. n. 3. Juri quippe & æquitati magis consentaneum est,
dominum Propria autoritate sineq̄ Judicis sententia feu-
dum ad se trahere non posse: ne vasallus exceptioni-
bus, quibus forsitan se tueri potuisset, defraudetur. *Hæc in*
re consentiunt Zas. in epit. Feud. p. 10. n. 72. Oldendorp. in progymnas.
actio. cl. 5. circa fin. Rittershus. in part. Feud. l. 2. c. 6. qv. 15, 16. &
Gail. l. 2. obs. fin. n. 1. it. lib. 2. c. 3. n. 10. de pac. publ. 2. F. 27. §. 7.

Thef. XXXII.

Effectus Orcus est feudi vocantis ab Alio acquisitio,
quod latè & eleganter expositum invenies apud Wilh.
Ludyvelum in synopsi jur. feudal. c. 17. n. 4.

tum à pri-
mo Ortus.

Thef.

qk TK 3004

Thef. XXXIII.

X. Affinia,
spectata
tum Speci-
ficè.
tum Gene-
ricè.

Quæ cum felonix crimine AFFINITATEM ha-
bent, sunt causæ tum Exheredationis *de quibus Novella 115.*
c. 3. & 4. item Novella 22. c. 46. 47. tum ob quas revocari pot-
est Donatio, *de quibus idè Justinianus L. generaliter sancimus 10. C.*
de revocandis donationibus. In quorum censum etiam refer-
ri potest omnis Negligentia Fraudulencia & Crimen,
quod beneficii alicujus, sive jam extantis sive futuri,
succesum femoratur.

XI. Oppo-
sita, de
quibus
Remissivè.

Opposita felonix sunt omnia ea, quæ felonix rea-
tum *Impediunt aut cessare faciunt, de quibus supra Cinzbe-*
sib. quæ Limitationes exhibent) incidenter diximus: quor-
sum, brevitatis studio Lectorem Remitto. imò ob
idem *Βραχυλογίας* studium nunc planè Dimitto.


Gratiis DIVINÆ CLEMENTIÆ nuncupatis.

FINIS.



Konf.
mü.





S ET CELSISSIMIS
S AC DOMINIS
CHRISTIANO
UGUSTO
HILIPPO
ENRICO

Juliae Cliviae & Mon-
ngia, Marchionibus Misnia,
nterioris Lusatiae, Comitibus
gi, Dominis in Ravenstein,

us ac DOMINIS
ementissimis

hoc
um specimen

D. C.
devotissimus & subjectissimus
vasallus

B. H. V. Z.



ob
ne
D
de
lic
in
co
sta
de
di
ci
ill
re

